

**De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis**

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||  
Ex Egregiis Manvscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm  
in lucem prodiêre

Complectens Sanctos Mensivm || Martii Et Aprilis

**Surius, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1576-**

**VD16 S 10259**

De S. Maximo martyre.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77384](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-77384)

HISTORIA BREVIS, SED FIDE DIGNA,  
TAMETSI AVTHOR IGNORATVR, S. MAXIMI MAR-  
tyris. Habetur autem in antiquis MS.codicibus.

30. Aprilis.

S. Maximus  
sistitur corā  
Proconsule

Virile pe-  
ctus & pra-  
clara con-  
stantia Ma-  
ximi.

Lapidibus  
obvuitur.



Ecius Imperator, volens profligare legem Christianorum, promulgauit decreta per vniuersum orbem, vt Christiani omnes, relicto Deo viuo & vero, dæmonijs sacrificarent: qui verò id facere nollent, supplicijs afficerentur. Quo in tempore vir sanctus Maximus se palam Christianum declarauit. Erat verò plebeius, negotijs sui curam gerens. Compræhensus igitur est & oblatus Optimo proconsuli apud Asiam. Dixit autem ei Proconsul: *Quis vocaris?* At ille: *Maximus vocor, inquit.* Proconsul dixit: *Cuius conditionis es?* Maximus respondit: *Ingenuus quidem natus, seruus verò Christi: mei autem negotijs curam gero.* Proconsul dixit: *Christianus es?* Maximus respondit: *Etsi peccator, tamen Christianus sum.* Proconsul dixit: *Cognouisti decreta iniictissimorum principum, quæ nunc c hac allata sunt?* Maximus respondit: *Quænam illa?* Proconsul dixit: *Vt Christiani omnes, relicta superstitione, cognoscant verum principem, cui omnia subiacent, & deos eius adorent.* Maximus respondit: *Iniquam huius principis cognoui sententiam, & ideo ne palam ostendi.* Proconsul dixit: *Sacrifica ergo dijs.* Maximus respondit: *Ego non sacrifico, nisi soli Deo, cui me ab incunte ætatē sacrificâsse gratulor.* Proconsul dixit: *Sacrifica, nè te varijs faciam tormentis affici.* Maximus respondit: *Hoc est, quod semper optauit, vt carens hac temporali & misera vita, perueniam ad sempiternam.* Tunc Proconsul iussit eum fustibus cædi: *cunq[ue] cæderetur, ait Proconsul: Sacrifica Maxime, vt ab his liber sis tormentis.* Maximus respondit: *Hæc non sunt tormenta, quæ pronomine Domini nostri Iesu Christi inferuntur: à quo si recessero, vera & sempiterra me tormenta manebunt.* Tunc Proconsul iussit eum in eculeo suspensi atque torueri, & dicebat ei: *Iam cerne scutitiam tuam, & sacrificia, vt vitam lucreris.* Maximus respondit: *Lucrabor planvitam, si non sacrificauero. Nam si sacrificauero, perco eam. Mihi verò nec fukes, nec vngulae, nec ignes tui ullum adferunt dolorem quia in me manet Christi gratia.* Tunc Proconsul tulit in eum sententiam, ita dicens: *Eum, qui sacrifis legitus animum noluit accommodare, vt magnæ Diana sacrificaret, in terrorem aliquorum Christianorum, obrui lapidibus præcipio.*

*Et raptus est confessus athleta Christi à ministris diaboli, gratias agens*

*Deo, qui ipsum lignum iudicâset certando superare diabolum:  
perductusque extra muros, lapidibus cæsus, tradidit animam Christo, cui est honor & gloria,*

*in secula seculorum*

*Amen.*

F I N I S.

DEO LAVDES ET GRATES.

